



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. L. Societatis Tacitæ, quam in itam benevolè interpretatur Author in Contractu, qui videtur sapere Mutuum, & involvere Usuram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

tur quotidie ad offerentium intentionem, quot, considerato numero Sacerdotum, & circumstantiis, legi possent, si pecuniæ non fuissent expensæ pro tali fabrica. Deberet tamen, ut dicto Num. 29. notavi, tali Do-

mui, postquam constructa est, aliunde provideri de aliis Reditibus stabilibus, ex quibus ali competenter possint Sacerdotes ibi degentes, qui Missas restantes dicant.

CONSILIUM L.

In Causa Lucri adæquantis Summam Capitalem subministratam.

SUMMARIUM.

1. *Seqq. Facti Species.*
4. *Si Contractum lucrosum volumus valere omni meliore modo, non censendum est contrahi mutuum.*
5. *In dubio præsumptio illa capitur, ut excludatur peccatum.*
6. *Clausula omni meliori modo sanat omnes defectus.*
7. *Definitio Contractus Societatis.*
8. *Societas potest contrahi etiam tacito consensu.*
9. *Communicatio lucri pertinet ad substantiam,*

- Communicatio damni ad Naturalia Societatis.*
10. *Nisi aliter conventum sit, debet inter Socios servari aequalitas lucri proportionem geometricam.*
11. 12. *Licet renuntiare Societati, modo absit dolus, & id non fiat intempestive.*
13. 14. *Si Societas contracta sit ad certum tempus, ad Renuntiationem requiritur justa causa.*
15. *Ad tacitam Compensationem requiritur, ut debitum sit liquidum, & ut non excedatur quantitas debiti.*

FACTI SPECIES.



Willibrordus, Vir Ecclesiasticus, doctus in Jure, & Styli Curie Romanæ expertissimus, cogitat typis edere selectissimum quoddam Opus Canonicum. Agit ergo cum diversis diversorum locorum Bibliopoli, qui typi expensas in se recipent. Ad hos cum proficisceretur, in expensas itineris ei Theodorus, cum quo amicitiam contraxit, ob certa quædam secreta Medica ipsi ostensa, ita rogatus, suggerit 150. fl. mutuos. Quia verò Willibrordus cum nullo ex his Bibliopoli, cum quibus tractavit, in petita, quæ fecit, convenire potuit, tandem se resolvit ad Opus hoc suum excudendum suis sumptibus. Expensæ pro hoc in lucem edendo ascendent ad 3000. fl. Non habens autem tantum paratæ pecuniæ, pro subsidio sollicitat Theodorum, eidemque, si 1000. fl. ipsi subministraret, promittit, se restitutum illi Summam hanc Capitalem cum tribus aliis millibus vel ex impressis Exemplaribus, vel ex pretio inde redacto. Contentus autem fuit Theodorus solum 1000. fl. ultra Summam Capitalem subministratam.

2. Init ergo Theodorus cum Willibrordo Contractum, idque non antea, quam tum ab ipso Willibrordo, quam ab aliis doctis certificatus esset de valore, & licentia Contractus. In hoc Contractu Theodorus Willibrordo spondet, se subministraturum ipsi intra decem Menses successive flo-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

renos mille; vicissim autem Willibrordus eidem se obligat ad 1000. fl. istos ipsi restituendos brevi post absolutam impressionem Libri cum aliis mille ex divenditis ejusdem Libri exemplaribus. Super hoc Contractu conscriptum fuit Instrumentum, utriusque contrahentis manu, & sigillo munitum, idque duplex ejusdem omnino tenoris, & sensus, quorum unum Willibrordus, alterum Theodorus penes se retinet. In hoc ambo omni meliori modo, & forma ad standum Contractu isto se obligant.

3. Stetit promissione sua Theodorus, & tempestive Willibrordo submitit, prout conventum erat, successive Summam conventam. Nunc verò difficultatem Theodoro facit Willibrordus circa alteros 1000. fl. & hunc Contractum accusat tanquam Usurarium: proinde solummodo offert Theodoro Summam Capitalem cum Censibus in Imperio Romano permissis, nempe quinque pro centum; florenos verò centum quinquaginta, mutuo acceptos, vult retinere in Compensationem pro ostensis arcanis Medicis, quæ tamen ab eo se didicisse negat Theodorus, & hoc probat ex Literis ipsius Willibrordi.

QUÆRITUR I.

Qualis sit iste Contractus, inter Willibrordum, & Theodorum initus?

4. **N**on esse Contractum Mutui, sed Societatis, consequenter omni labe Usuraria illum carere, ostenditur 1. Quia Contractum

Resolvitur Quæstio.

Quum istum Contrahentes juxta Instrumentum desuper erectum voluerunt valere omni meliori modo, & forma, sicque ad observantiam ejus se obligare. Non valeret autem, neque ad observantiam ejusdem obligare se potuissent Contrahentes, si ille foret Contractus Mutui; quia in hoc Theodoro promissum fuit alterum tantum, quod in Contractu Mutui fieri non potest, juxta illud *Luc. 6. v. 35. Mutuum dare, nihil inde sperantes.* Igitur præsumi debet, quod intentio contrahentium hoc Casu fuerit inire alium Contractum distinctum à Mutuo, qui validus, & licitus esse posset. Talis autem est Contractus Societatis, vel Emptionis fructuum, ubi sæpe pro 50. datis accipiuntur 100. Ergo &c.

5. 2. Semper in dubio præsumptio illa capi debet, ut excludatur peccatum, & ut actus potius valeat, quam ut pereat

Arg. Reg. semper. § 6. ff. de R. J. in 6. Et l. quorrens. 12. ff. de Reb. dub.

præsertim, ubi ambo, vel unus contrahentium peritus est Juris, qui scit, aut scire potuit, & debuit, an licite, & valide hoc modo, ut contractum fuit, potuerit contrahi. Atqui si Contractus iste haberetur pro Contractu Mutui, cum ultra 1000. fl. ministratos vi illius solvi debeant 1000. alii, Contractus iste, utpote Usurarius, foret illicitus, & invalidus: imò ipse Willibrordus, offerendo primum 3000. deinde 1000. censeretur induxisse Theodorum ad Peccatum Labis Usurariæ, quod de Willibrordo, utpote Viro timoratae Conscientiæ, Ecclesiastico, & in praxi versatissimo, præsumi non debet. Ergo præsumi debet initus fuisse alius Contractus, distinctus à Mutuo, & vi cujus accipi potest alterum tantum ultra summam ministratam, qualis est Contractus Societatis, vel Emptionis fructuum.

6. 3. Clausula *Omni meliori modo, & formâ*, Actui, vel Contractui celebrato adjecta, est Clausula Salutaris, eâ pollebente virtute, ut sanet omnes defectus Actus, vel Contractus sub ea celebrati, qui sanari possunt, ut patet in Libello, Testamento &c. nam Libello; Judici oblato, addita, assimilatur à DD. *Herbæ Betonicæ*, quòd, sicut ista morbos omnes, ita illa omnia vitia Libelli sanet.

Gaill. lib. 1. obs. 61. n. 11. & 12.

Consequenter per illam Actor censetur omne Jus suum in Judicium deduxisse, etsi de omnibus, & singulis non tegerit mentionem expressam: adjecta verbò Testamento, in quo dispositionem suam Testator declarat valere se velle omni modo, quo potest, facit, ut, si Testamentum sit nullum ob defectum Solennitatum, valeat in vim Codicilli, modò habeat Solennitatem requisitam ad Codicillum. Igitur eadem Clausula, adjecta Contractui, de quo in præsentem quæritur, cum ille non possit valere in vim Mutui, eum valere faciet in vim alterius Contractus validi, puta, in vim Contractus Societatis, vel Emptionis fructuum. Et verbò

4. Quòd contracta hoc Casu sit vera Societas patet ex hujus Definitione; nam, ut Contractum hunc cum communi DD. definit Lauterbach

ad tit. ff. pro Socio. §. 1.

Societas est Contractus consensualis de rebus, Lucri in commune faciendi causâ, communicandis. Hoc autem factum est in præsentem Casu, ubi conventum est, ut præter mille ministratos, à Willibrordo dentur Theodoro mille alii de Lucro Exemplarium Libri communibus sumptibus impressi dividendorum. Adeoque Theodorus contulit partem sumptuum; Willibrordus verbò operam in componendo suo Opere Canonico simul cum reliquis expensis in Typographiam, ea Lege, ut Theodorus de Lucro habeat 1000. reliquum autem lucri retineat Willibrordus.

Neque obstat 1. Quòd in præsentem Contractu non sit facta mentio contrahendæ Societatis; nam ista contrahi potest consensu non tantum expresso, verbis scilicet, sed etiam tacito, re ipsa declarato, factis scilicet, & actibus, qui citra Jus Societatis fieri non solent, modò aliunde de animo Societatem ineundi constet.

L. Societatem. 4. ff. pro Socio.

Hic autem animus præsumitur ex actibus; nam talis animus esse creditur, qualis ex actibus ostenditur.

Mantic. de tacit. & ambig. Convent. lib.

6. tit. 11. n. 3.

In præsentem Casu animum contrahendi Societatem adfuisse, clarè indicat ipsum Instrumentum desuper erectum, ubi Theodorus pactus sibi est partem lucri, consistentem in 1000. fl. ex pretio Librorum dividendorum, quale lucrum absque Contractu Societatis in pactum venire non solet, nec potest. Unde necesse non fuit in dicto Instrumento explicite poni nomen Societatis.

Arg. l. certum est. 6. ff. de reb. credit. ubi supponitur, ad rei certitudinem nihil interesse, an suo nomine, aut ea demonstratione, qua nominis vice fungitur, illa designatur.

Non obstat 2. Quòd in hoc Contractu non sit conventum de tolerandis etiam à Theodoro damnis; nam inprimis in hoc negotio non videtur adesse ullum mortale damni periculum, sed potius spes certa ingentis Lucri, utpote ex Opere utilissimo omnibus, & propterea à plurimis desiderato. Deinde de damno etiam ex parte Theodori tolerando implicite conventum censetur; cum enim is, qui pecuniam confert in Societatem, si aliter non convenerit, illam tantum quoad usum comunicasse censetur, ita, ut finitâ Societate eidem restituenda veniat simul cum Lucro, pecuniæ collatæ quantitati respondente;

Lauterbach ad ff. tit. pro Socio. §. 16. & apud hunc Gaill. lib. 2. obs. 24. n. 6. Et ibi Grav. consid. 1. Bonacin. de Contract.

Contract. D. 3. q. 6. p. 3. n. 9. Donell. in l. 1. n. 3. *pro Socio.* Bachov. ad *Treutler. vol. 1. D. 27. thes. 9. lit. A.* Frantzk. tit. *pro Socio. n. 86.* Mevius ad *Jus Lubec. lib. 3. tit. 9. art. 1.* & alii.

etiam de damno illius pecuniæ tacite conventum censetur, ita, ut, si collata pecunia, quæ non est communis facta, casu pereat, damnum illud regulariter ad solum conferentem, tanquam ad ejus Dominum, pertineat.

Arg. l. si id. § 3. princ. ff. pro Socio. Bachov. l. cit. Lauterb. l. cit. §. 17.

Sicut damnum operarum frustra præstiturum pertinet ad eum solum, qui illas præstitit, & alter pecuniam collatam, si salva existit adhuc, totam recipit.

Sichard. ad l. 1. *pro Socio. n. 9.* Perez in *Cod. tit. eod. n. 9. in fin.* Lauterbach. §. 17. cit.

Proinde, licet contrahentes de damno nihil dixerint, & forte nec cogitaverint, tamen Contractus Societatis est, & damni communicatio implicite in hoc comprehensa censetur; referri enim consideratio damni debet ad Naturalia Contractus, quæ tacite intelliguntur, etsi de iis nihil cautum sit.

Arg. l. cum quid. 3. ff. de reb. credit.

Ratio est, quia lucrum non semper, vel non sine damno admixto haberi potest: & ideo oportet & Lucri, & Damni rationem habere.

L. si non fuerint. 29. in fin. ff. pro Socio. Bachov. ad *Inst. §. 1. de Societ.* Struv. *Exerc. 22. thes. 25.*

Denique Damnorum, cum illa contra intentionem contrahentium accidant, communicatio solum pertinet ad Naturalia Contractus Societatis, non vero est de Substantia illius, quippe cujus Obligatio consistit in Communicatione Lucri post acquisitionem; hujus enim gratiâ omnis Societas inicitur.

Struv. l. cit.

Et ideo Societas requirit Subjectum communicativum Lucri, i. e. rem, aut factum tale, unde Lucrum venire potest.

Fagnan. in c. *fin. de Usur. n. 38.* Duard. *Decis. Roman. post tract. de Censu. 321. n. 6.* Müller. ad *Struv. thes. 25. cit. lit. a.*

Cum ergo Naturalia actus Pactis adjectis immutari possint

L. si non fuerint. 29. cit.

& Pacta regulariter legem Contractui dent.

Reg. 85. de R. I. in 6.

Hinc, si ita convenerit, pacto effici potest, ut unus Sociis nullam partem Damni sentiat.

Tabor. de *Jure Socida. c. 9. thes. 11.* Teller. *dissert. de divij. lucr. & damn. int. Socios. c. 1. §. 29.* Müller. ad *Struv. Exerc. 22. cit. thes. 25. lit. β. & thes. 31. lit. a.*

Non obstat 3. Quod in Societate Parti-

R. P. Schmalzgrueber *Conf. Tom. I.*

culari, qualis esset ista, æqualitas Lucrorum æstimetur ex quantitate rerum in Societatem collatarum, vel operarum, aut suscepti periculi, ita, ut qui duas partes in Societatem contulit, etiam duas Lucri, & Damni partes habeat.

L. si Societatem. 6. l. quid enim. 80. l. illud quarendum. 33. ff. pro Socio.

Nam hoc procedit, nisi inter Socios aliter conventum sit; si enim aliter conventum non est, æqualitas ista æstimanda est secundum res, & operas, in Societatem collatas: nimirum, sicut se habet fors, vel etiam opera collata ad alterius sortem, ita quoque se habere debet Lucrum, & Damnum unius Socii ad Lucrum, vel Damnum alterius, ut tantum quilibet Socius Lucri accipiat, quantum certo respectu, seu per certam mensuram, & rite computatam divisionem forti cuilibet respondeat.

L. 6. 80. & 83. cit.

quod nihil aliud est, quam juxta proportionem Geometricam inter Socios dividi Lucrum, & Damnum. E. g. Sunt duo Socii, quorum unus confert 100, alter 50, & lucrum commune sunt 90. quod subducto Calculo, quod vocant Societatis, seu Confortii, ita dividendum esse apparet, ut, qui contulit 100, capiat 60, & qui 50. habeat 30. quæ Proportio erit Geometrica.

Hartm. *Pistor. lib. 3. q. 1. n. 6.* Carpz. *p. 2. const. 30. defm. 38.* Ant. Pichard. in *princ. Inst. de Societ. n. 17.* Struv. *Exerc. 22. cit. thes. 30.*

Dixi, Nisi inter Socios aliter conventum sit; nam, si aliter inter ipsos convenerit, Lucrum, & Damnum secundum Conventionis Legem est communicandum, & dividendum; nam propter incertum eventum valet talis Conditio, quæ in Societate partes Lucri, & Damni constituuntur inæquales: idque verum est non tantum, quando is, qui plus Lucri accipit, plus Pecuniæ, vel operæ Societati contulit, sed etiam, quando inæqualitas illa ex alia justa causa conventa est,

L. si non fuerit. 29. princ. ff. pro Socio.

v. g. Remuneratonis, aut simplicis Donationis ergo; neque enim dubium est, quod Societas æquæ, ac Emptio Venditio ex parte Donationis causâ recte contrahatur.

L. si quis. 38. ff. de contrab. empt.

Proinde, non obest, quod Theodorus ex Lucro Exemplarium divenditorum tantum accepturus sit 1000. fl. partem verò longè majorem habiturus Willibrordus; nam ita conventum est. Imò idem Willibrordus plus contulit tripliciter. 1. Ut Author, qui Opus istud studio suo composuit. 2. Ut Revisor Typi, qui in se laborem emendandi Menda ejusdem Typi suscepit. 3. Conferendo ad minimum duas partes expensarum pro Charta, & mercede Typographi.

QUÆRITUR II.

An in Contractu Societatis hætenus declarato, liceat Willibrordo pœnitere, & ab eo, invito Theodoro, recedere?

II.
Ratio
Dubitandi.

Ratio dubitandi est, quia regulare est dogma, quod Societas solvatur Pœnitentiâ, ac contrariâ voluntate, & quidem non tantum mutuâ amborum Contrahentium, sed etiam non mutuâ, unius scilicet illorum, quæ posterior in specie Renuntiatio dicitur; nam de natura hujus Contractus est, ut is diutius non maneat, quam Socii in eadem voluntate perseveraverint.

§. manet autem. 4. Inst. de Societat. l. tam diu. §. C. pro Socio.

Ut adeo ex sola pœnitentiâ, & mutatâ voluntate abiri à Societate possit.

L. si convenerit. 14. & l. actione. 65. §. diximus. 3. ff. eod.

Idque singulare est in hoc Contractu, quod etiam re non amplius integrâ, Socii non solum mutuam pœnitendi facultatem habent, sed & alteruter, seu quivis pro sua persona renuntiare Societati possit.

Colleg. Argent. ad tit. ff. pro Socio. thes. 18. & seqq. Müller. ad Struv. Exerc. 22. thes. 41. lit. u. estque exploratum in Jure.

Et hoc optima ex ratione; sic enim prospicitur sedandis discordiis, quas materia Communione excitare solet.

L. cum Pater. 77. §. dulcissimis. 20. ff. de Leg. 2.

12.

Verum hoc solum procedit in Casu, quo Societas contracta est simpliciter, ubi licita est Renuntiatio, modo dolus absit, & ipsa non fiat intemptivè.

§. manet autem. 4. §. sed planè. Inst. de Societ. l. si convenerit. 14. ff. pro Socio.

Et tunc quidem Renuntiationem Socius admittat, necesse est, tenetur tamen ita Renuntians ad Interesse, & si quid lucri ex Renuntiatione dolo captaverit, tenetur communicare perinde, ac si duraret Societas,

§. manet autem. §. sed planè. cit. l. sed & Socius. 17. §. fin. ff. pro Socio.

ita, ut à se quidem liberet Socios suos, se autem ab illis non liberet,

prout *l. actione. 65. §. diximus. 3. ff. eod. ex Cassio ait Paulus Jctus. Struv. Exerc. tit. 22. thes. 41.*

dolus enim, & calliditas fraudi esse non debent alteri.

13.

Si verò ad certum tempus sit contracta Societas, ut recedere à Societate Socius, invito altero Socio, licitè possit, non sufficit abesse dolum, sed insuper requiritur necessaria, vel justa causa Renuntiationis,

L. actione cit. §. item qui. 6.

Talis causa erit, si Socius Legem Contractus ex parte sua non adimpleverit; tunc

enim licitè alter recedit à Societate: quod singulare est in hoc Contractu; in aliis enim agitur ad implendum.

L. ea conditione. 14. C. de rescind. Vendit.

Item, si Socius rixosus, aut damnosus sit, nec alter Socius id sciverit &c.

L. si convenerit. 14. & seqq. ff. pro Socio.

In tali ergo Casu is, qui extra talem causam recedit ante finitum tempus, non liberatur à Socio, hic tamen, si ita velit, liber est, ita quidem, ut, licet iste, siquid compendii profectum erit, ejus partem non ferat; at si dispendium, aquè præstabit portionem renuntians ei, cui renuntiavit.

ut dicitur *l. actione. §. item qui. cit. Mant. tit. 23. n. 12. Rittershul. de Differ. Jur. Civil. & Canon. lib. 2. c. 9. Meurer de eo, quod justum est circa Societatem, c. ult. thes. 8. Lauterbach. ad tit. pro Socio. §. 34. Müller. ad Struv. Exerc. 22. thes. 41. lit. o.*

Malè igitur à nonnullis ita simpliciter scribitur, licere tale Pactum contemnere; hoc enim intelligendum est de Societate æterna, quippe cum,

ut *l. nulla. 70. ff. pro Socio, dicitur, Nulla Societatis in æternum coitio sit.*

Ex quo sequitur Responsio ad Questionem Num. 11. propositam; nam in Casu præfati inter Willibrordum, & Theodorum inita est Societas ad tempus, scilicet dum finita sit Impressio Libri in typum dati, & in quantitate competente distracta sint hujus exemplaria: adeoque juxta dicta Num. præf. ut Willibrordus à Societate cum Theodoro inita, hoc invito, possit recedere, necessaria est justa Causa. Talem autem Causam idem Willibrordus non poterit allegare. Igitur Theodorus eundem compellere poterit, ut iste in Societate usque ad finitum tempus perseveret, & præstet præstanda.

QUÆRITUR III.

Utrum Willibrordus 150. ff. mutuò acceptos à Theodoro, in Compensationem pro ostensis huic Arcanis Medicis, retinere possit?

RESPONDEQ, ut Compensatio sit licita, præter alia, duo requiruntur. Primo, ut debitum, pro quo Compensatio fit, sit liquidum; & secundo, ut id, quod in Compensationem talis debiti retinetur, non excedat quantitatem debiti. Proinde, ut Willibrordus Compensationem facere possit, duo debet ostendere, unum, quod revera ostenderit præfensa Arcana Medica; alterum, quod eadem Arcana tanti valeant. Primum difficulter probabit; nam duo maximè fuerunt Arcana, quorum unum tale revera non est, quippe quod Theodorus jam antea habuit in Libro Medico impresso, quem

quem ostendit Willibrordo, alterum non ostendit completè Willibrordus Theodoro, quippe cùm, ut ille in Literis ad hunc datus scribit, nondum dederit ad illud Arcanum clavem. Quoad secundum, cùm in æstimatione rei suæ prudentissimus quisque

facile falli possit, ad taxandum meritum horum Arcanorum opus esset Judicio Viri boni, seu Arbitri, ante quod proinde Summa illa mutuo data in Compensationem retineri non poterit.

CONSILIUM LI. In Cauſa Successionis in Fructibus Bonorum Fideicommissariorum.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. & seqq. Rationes dubitandi.
3. 6. Fideicommissio ad Agnatos translato, Fructus ultimi anni dividuntur inter Hæredes Allodiales, & Successores in Fideicommissio.
7. Casus, ubi eadem Divisio locum habet quoad Bona Allodialia.
8. A Majoratu arguitur ad Fideicommissum in genere, quoad fructus.
9. Non tamen à Feudo ad Fideicommissum.
10. Differentia inter Usufructum & Fideicommissum quoad Fructus.
11. Declaratur L. Herennius. ff. de Usuris.
12. 13. Fructus Industriales & Civiles dividuntur pro rata temporis inter Possessoris Hæredes, & novum Successorem.
14. Quoad Fructus Naturales distinguitur inter perceptos & pendentes.
15. 16. Annus quoad perceptionem Fructuum numerandus est à suo principio, scilicet à Calendis Januarii.
17. Decisio Controversiæ.

FACTI SPECIES.

I.



Thmarus, insignis Fideicommissi Possessor, 3. Septembris 1728. mortuus est. Reliquit Uxorem Viduam sine Liberis, quam proinde Universalem omnium Bonorum Allodialium, quæ ascendunt ad 30000. fl. & maxima ex parte in pecunia parata consistunt, Hæredem instituit. In Bonis Fideicommissariis ei successit Eugenius, ex Linea Collaterali Agnatus Defuncti, quem Ordo Successionis, tanquam proximiorum ante alios Agnatos tetigerat. Prætendit iste Anni currentis Censuræ, & Pensiones, fluentes ex dictis Fideicommissariis Bonis. Controversiam de his eidem facit relicta Vidua, & tanquam Hæres Universalis Mariti demortui, aut universos, aut magnam eorum partem sibi vendicat. Quæritur, cui debeantur hi Censuræ, & Pensiones? Antequam respondeam, prius enodanda est

QUÆSTIO I. Præliminaris.

Qualiter, Fideicommissi Possessore mortuo, Fructus talis Fideicommissi ad ipsius Hæredes Allodiales, & Fideicommissi Successores transferantur, & inser istos dividendi sint?

2. Rationes Dubitandi.

IN hoc non satis convenit inter DD. Videtur I. In ista re observandum, quod Jure Feudali

lib. 2. feud. tit. 28. §. his consequenter. constitutum est, ubi in casu, quo Vassallus decedit sine Hærede Masculo, & contingit Feudum reverti ad Dominum, attenditur tempus mortis, & quidem, si contingat eum mori inter Calendas Martias, & Calendas Septembres, eo Casu omnes Fructus ultimi anni ad Hæredes Vassalli; si verò post Augustum completum, & ante Calendas Martias decedat, omnes Fructus ad Dominum pertinere dicuntur.

Isernia in §. his consequenter. cit. n. 1. & cuius sunt Fructus. Sonsbec. de feud. p. 10. n. 9. Rosenthal de feud. c. 10. q. 42. n. 34. & seqq. Zal. de feud. p. 10. n. 119. Borcholt. de feud. c. 7. n. 95. Schneidewin. de feud. p. 6. c. 5. n. 26. Vult. de feud. lib. 1. c. 11. n. 209. & seqq. Matthæus Colerus de Process. Execut. p. 2. c. 3. n. 304. Hartm. Pistor. p. 1. q. 24. n. 39. Molinæus Consuet. Paris. tit. 1. §. 8. gloss. 1. n. 13. & seqq. Klock. tom. 2. conf. 33. n. 3. Covar. l. 1. var. c. 15. n. 14. Schrader. de feud. l. 2. p. 9. sect. 3. n. 46. Berlich. lib. 3. pract. concl. 43. n. 25. Carpz. p. 3. const. 32. defn. 1. n. 4. & 5. Knipfchildt de Fideicommiss. Fam. Nobil. c. 10. n. 57. ita, ut oleum, & operam perdere eum, qui contra hanc opinionem niti conaretur, dicat Hartm. Pistor. 1. qq. Jur. Civil. & Saxon. q. 24. n. 43.

Sententiam istam

præter Bald. Alvarot. Afflicti. Socin. & alios, Tiraquell. l. 2. de Retract. §. 5. gloss.